

**De typho epidemico Frickhofiae pagi Nassoviensis : dissertatio inauguralis
... / publice defendet Ioannes Schmitt ; adversariis Guilemo Geller, Matthia
I. Thelen, Oscaro Albers.**

Contributors

Schmitt, Johann, 1826-
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Bonae : Formis Caroli Georgii, [1856]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/r7fwdzhh>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

21.

DE

TYPHO EPIDEMICO FRICKHOFIAE PAGI NASSOVIENSIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS,

QUAM AD

SUMMOS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
AB AMPLISSIMO MEDICORUM ORDINE IN ACADEMIA
FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA
LEGITIME IMPETRANDOS

SCRIPSIT

UNAQUE CUM THESIBUS CONTROVERSIS ADIECTIS
DIE XXX. DECEMBRIS MDCCCLVI HORA XI.

PUBLICE DEFENDET

IOANNES SCHMITT

NASSOVIENSIS.

ADVERSARIIS

GUILELMO GELLER, DR. MED.
MATTHIA I. THELEN, CAND. MED.
OSCARO ALBERS, CAND. MED.

BONNAE,
FORMIS CAROLI GEORGII.

DE
TYPHO EPIDEMICO
TRICHOSEAE ET MISSOURIENSIS

SEPTENTRIONALIS SEDATISSIMA

GRAN AD

EDITIONE IN MEDICINA ET CHIRURGIA MONOGRAFICA
AB UTILISSIMO MEDICORUM OMNIBUS IN ACADEMIA
FRIDERICIA GULIELMI RHEINIANA
LEGITIME IMPERIANDOS

HERITIER

UNVIVERI CUM TERRIBUS CONTRARIOBVS ADIECTIS
AN XXX DECIMOBVRBIS MDCCLXVII HORY XL

LIBRARY OF THE UNIVERSITY

JOANNES ACERBIUS

ACADEMICUS,

ADARSSARIUS

CHILOIO GRIPPE, ORBIS
MATTIAZI ET THOMAE, ET ALIIS, ET
OCVANO VLBENS, ET ALIIS, ET ALIIS

BONIUS.

ROMAE CIRCOLI LIBRORUM

P. KOCHIO

SACRORUM ANTISTITI RENNERODENSI

Hanc scio mihi excusationem illius opus sit, hanc
reli tractandam ab aliis ad hoc non compescit, quod
et maxime periculoso est. Iustitiae ac-
curate et diligenter sit illustratum.

AMICISSIMO

Causae tamen quaeque etiam possunt esse indigentia,
in potius id opus agere. Exemplarum tantum
nulli facti esse videntur. In typis apicemq[ue] ac-
cera cum varia tamque diversa origine et incon-
mentis fuit, sed paucis annis de locis etiamq[ue] non
dubito, quin tunc quidam exinde super dictam clas-
sicique fiducia illud. Et rite, ex p[ro]posito dico hec in
trent incubit quod inter apposite modis inveniatur.
Numerum sordium sive numerum dicitur, quod
que hoc ipso significat. Non enim, ut dicitur
ad Nomen Apollinis, per XII. sed per XVII. sive
Doctors medicinae. Secundum ista, eti te h[ab]eas, et
negrotorum adhuc modis rationibus, non arbitrio,
quibus viris certatio de operis officiis et iusta est. pro di-
scertatione compendio, proximum belum, utrumque, mole-
stissimum efficiere praeferitur. Tunc utrumquem de-

P. KOCHIO

SACRUM VITATITI ENNEGORDESIS

AMICISIMO

SACRUM

De typho epidemico Frickhofiae pagi Nassoviensis.

Haud scio an excusatione mihi opus sit, hanc rem tractandam atque disputandam me sumpsisse, quae et maxime pervulgata et a viris sane doctissimis accurate et diligenter sit illustrata.

Causae tamen eaeque gravissimae me induxerunt, ut potius id opus aggrederer, cuius explorandi summa mihi facta erat copia. Sunt enim typhi epidemici genera tam varia tamque diversa et origine et incrementis, ut, si pauca etiam de hac re attulerim, non dubitem, quin tota materies paula sane dilucidior clariorque futura sit. Praeterea eo maiore studio hanc in rem incubui, quod mea in primis vicinia per longam annorum seriem atque memoriam typho laborat, quodque hoc ipso anno inde a. d. XVII. Cal. Febr. usque ad Nonas Apriles per Weyerum et Schollum Doctores medicinae occasio mihi erat oblata lectos aegrotorum adeundi morbi rationum indagandarum, quibus viris maxime de me meritis si hac ipsa dissertatione componenda gratiam referre possem, optatissimum officium praestitissem. Sed anteaquam de

morbo ipso verba faciam, non alienum esse arbitror de victu cultuque incolarum praefari omniumque eaurum rerum, quae ad excitandam pertinebant illam epidemiam et augendam, quam accuratissime rationem habere. Ac primum quidem ab loci descriptione ordiendum videtur.

Frickhofen, vicus, situs est in zona temperata septentrionali 51—52° lat. sept; altitudinem ML pedum supra maris aequor occupans, in parte meridionali eius montis, quae „Westerwald“ vocatur, M circiter octo passuum a Logana flumine distans. Occidentem et septentriones saltus occupat satis fragosus et multa silva consitus; sub quo prope vicum ager est parvus, cuius superficies partim luto partim calcio carbonico et basalta consistit.

De hoc saltu rari torrentes proruunt vehementer increscentes, si parva modo pluvia fit. Inveniuntur quoque hic illic hoc in agro, quem modo dixi, loca minuta gramine obsita, in quibus incolae lini mollescendi causa fossulas infodint, quas, dum illud ad certum modum putrefactum sit, aqua habent impletas. Quae, pluvia exorta, torrentibus, ut supra dictum est, exsuperantibus, facile non modo ad marginem complentur, sed aquam quoque supervacuam in vicum demittunt, qui in convalle inferiori situs aquas undique una cum terra plantisque ab radicibus erutis acceptas retinet, donec omnia sint plane putrefacta. Gravissime olentes sunt reliquiae lini in illis fossulis demersi, quem odorem qui semel olfecerit, certe semper ab aliis poterit distinguere. A septentrionibus quoque et ab occidente aquae in vicum defluunt, neque aliud effluvium reperitur nisi a parte meridionali

in pratum, quod, imbræ si vehementiores extiterunt, pluvia totum demersum conspicitur, ita ut lacus ferme conspectum, certe maximi stagni præbeat. Imbræ vero auctumno anni præteriti creberrime et paene tertio quoque aut quarto die hac in regione cadebant atque magnam aquæ multitudinem super hanc convallem fundebant; quo tempore etiam accidit, ut aedificium quoddam fulmine tangeretur. Neque vero dubito, quin frequens electricitas multum ad morbum, qui paulo post incidit, excitandum valuerit. Circa rusticorum aedificia magna copia arborum cuiusvis generis inventur, quarum in numero iuglandes praesertim nomino, quas ramis extensis foliisque densissimis esse satis constat. Locus ipse est humidissimus, ut fere semper, etsi coelum sit serenum aërisque siccus et calidus, media in aestate stratas vias invenias lutulentas et paludes inter domicilia plantis aquaticis coopertas. Ecclesia medio in vico stat sepulcris circumdata, cui a parte occidentali alta fossa aquæ stagnantis est subiecta luto et plantis putrescentibus completa. Verisimile ac paene certum est, saepius tempore auctumnali, quo imbribus terra mollescit, reliquias cadaverum sepultorum hanc in fossam illabi, quarum odore pestifero non dubito, quin morbus ipse typhus incrementa capiat. Accedit, quod omnia pecoris excrementa in publicas vias defluunt et noxium iam putorem magis etiam exaugent. Atque putei et aquae plane erant neglecta et unus quidem ita, ut liquor putidus e sterquilino intraret, cui rei medici statim obsisti iusserunt. Aedificiorum ratio ea est, ut fastigium vix sex et dimidii pedum altitudinem superet, quorum maximam partem nisi cervice curvata per ianuam in-

trare non potui. Ad hanc domum humilitatem accedit humiditas inferiorum partium, cuius rei praeter soli naturam et conditionem haec quoque causa reperitur, quod ima conclave ne lignis quidem contabulata sunt, sed in plerisque pavimenta tantum conspiciuntur. Plurima aedificia, paucis divitiorum exceptis, stramento sunt tecta. Infimum aedium conclave fornax occupat, quo per tempus hibernum et hominum et pecoris pastus decoquitur. Ibi hominum magnam multitudinem considentem invenias, nulla fenestra aperta, quia aërem intrantem nocere arbitrantur. Quam referta ista sint domicilia, facile cognoscitur numeri incolarum ratione habita. Sunt enim 1463 capita, neque amplius 183 domos vicus continet, octoni igitur ferme homines singulas domos incolunt. Qui numerus certe nimius non foret, si per frigus superiora loca aedificiorum habitare liceret; ibi enim fornaces non sunt collocatae. Sub eodem, quo homines utuntur tecto, pecus quoque hiemat, cuius ad cultum locumque hiemandi maior saepe cura adhibetur quam ad hominum ipsorum, quoniam gens illa ex agricultura et e pecoribus omnem paene victimum sibi comparat. Fenestrae aedium admodum sunt minutae neque ferme altitudinem $2\frac{1}{2}$ pedum superant, ita ut cavernulis sint consimiles, quas ut solis radiis, ut ipsa natura poscebat, adverterent, plane neglexerunt. Neque meliore condizione, quam qua domicilia, lecti sunt, quos apud singulos quidem plumis confertos invenias, plures vero saccis stramento impletis ad cubandum utuntur, quibus terni quaternive incubant.

Per multi adolescentes robusti saepe una cum pecore in stabulis pernoctant, quippe ubi minore frigore

afficiantur, quam in conclavibus fornace egentibus. Vestimenta rusticorum talia fere sunt: omnia paene sunt linteae, quae tinctura caerulea tingere consuerunt; solum diebus festis adolescentes et cives paulo ditiores lana indutos conspicias. Neque calceamento magis prospiciunt, cum singulas caligas calceosve non amplius semel instaurandos totius anni spatio idoneos esse iudicent, quanquam, cum agros diligentissime colant, coelumque plerumque pluviosum sit, multo pluribus uti debeant. Vestitus munditiae ut maxime operam dant, ita corporis plane negligitur nec ullum per aestivum tempus in rivulo proximo, cui nomen est Elbi, lavantem videoas, quod frigus et aërem timentes corporis valetudini noxium putant.

Victus eorum, praesertim pauperum in pane, solano tuberoso, coffea Arabica paucoque olere consistit; carne perraro et nisi die Solis non vescuntur. Qui victus sane ad corporis valetudinem suppeteret, nisi solanum tuberosum ex compluribus iam annis morbo quodam satis cognito laboraret, quo putrescit et inutile fit ad vescendum.

Tamen apud plebis magnam partem ipse animadvertisi hoc solanum, contritum cum farina commixtum in panis usum esse conversum. In omnibus paene cibis, quibus utuntur, solanum inest et perpaucum adipis, quum butyrum venumdent comparatur, quo cofeiam sibi emant Arabicam. Qua de re factum est, ut per longiorem annorum seriem a medicis pueri inventirentur scrofulosi. Mihi ipsi, cum typho grassante epidemico hoc in vico morarer, puer est propositus, qui quarto iam aetatis anno superato 14" altitudinem vix erat assecutus, ventrem praetumidum, crura paene

sigmoïdea carne denudata, et tubercula in collo habebat exsuperantia. Nulla vero re magis in paupertatem redacti sunt illius regionis incolae, quam quod, cum antea decima frugum et frumenti quotannis principi solveretur, iam paucis annis ante lege erat constitutum, ut omnium in posterum decimorum loco pecunia daretur tota, quam conferendi necessitas erat, nisi supellectilem et agros aedesque sub hasta vendi vellent. Augebant malum atque miseriam plebis missionarii ex ordine fratrum Ligonianorum, qui anno 1854. locum adierunt summamque omnium rerum sobrietatem praedicantes hominibus facile pecuniam, quam sibi comparaverant, abstulerunt, quippe qui ubique fere sancti haberentur et honoris paene divini essent participes. Hi ecclesiolam curaverunt condam cruce ornatam, saepeque ego medio auctumno, cum frequentes imbre impeditarent, quominus agri colerentur, plebis multitudinem genua conspexi ponentes in lapidibus humidis frigidisque. Neque ulla inde adhortatione amoveri potuit genus superstitionissimum, etiam cum grassaret epidemia, ut saepe dicarent: „Aut illi aut nemo iuvabit“. Superest, ut nebularum cerebriminarum mentionem iniiciam, quibus haec regio apud finitimos in proverbium abierit, ut saepe audiat „Videsne illam terram nebulosam“?

Annis 1854. et 55. omnes fere gravidae, postquam pepererunt, morti succubuerunt. Partus facillimus erat, parturientes in primis quatuor aut quinque horis optime sese habebant, tum querebantur nihil amplius sese videre, et paullo post de iis erat factum. Cuius rei causam ne nunc quidem medici certam cognoverunt. Quo factum est, ut nulla virgo ex alio

vicino vico adolescenti vici Frickhofensis nubere vellet. Cadaverum vero mortuarum sectio, quae ex iusu summi ministerii Nassovienis siebat, nihil fere abnorme prodidit.

Sic igitur omnes typhi causae aderant, neque ullus praeterierat annus, quin singuli hoc laborassent morbo, ut quidem medicorum commentarii confirmant. Subito vero, paucis aliis singulisque casibus antecedentibus, a. d. XVII. Cal. Febr. totus paene vicus hoc morbo est affectus, qui initio in infima tantum vici parte exortus, in ipsa propinquitate ecclesiae, quam fossa stagnantis putidaeque aquae circumdatam memoravimus, paullatim superiora loca attigit neque alii parti pepercit nisi summo vico. Morbus in familia Bauschiorum initia cepit eiusque processus fere hic fuit.

Quattuor morbi stadia possunt distingui, primum stadium prodromum, secundum acuminis, tertium de- crescentis morbi, quartum convalescentiae. Quum iam in superioribus annis singuli casus, in quibus non ita raro mors evenerat, inventi essent, vulgus de hac re iam antea certius factum optime symptomata typhi, quem tam vehementer pertinebat, animum adverterat et memoriae tradiderat. Aegrotum igitur quum interrogavisses, haec fere responsa aut ab eo aut ab eius affinibus ferebas; se aliquod per tempus vehementer toto corpore friguisse ideoque vestimentis calidioribus sese induisse neque amplius opera rustica persequi potuisse. Artus in primis crurum saepius contremuisse, paullatimque habetes esse factos, caput anteriorem maxime partem vehementer doluisse, visum tam debilem atque profusum fuisse, ut aegrotus saepe scin-

tillas ante oculos aut culices in aëre circumvolitantes conspicere visus sibi esset; neque in libro legere sese potuisse, nauseam vomitumque frequenter accidisse. Hac vero in re saepissime factum est, ut aegrotus nihil nisi pituitam cum parvis ciborum reliquiis evo-meret, quae tota materies tam erat mucosa, ut plerumque ab ore detergi debuerit. Quo magis nausea vo- mitusque creverunt et aucta sunt, eo minor appetitus ciborum aderat, neque ulla re nisi aqua frigida libenter aegrotus utebatur. Noctes gravissimae erant: in lectis sese volutabant neque somnum capere poterant. Ali-quot per dies mane consurgere conati brevi cubile desertum iterum petebant, quia vires tam erant de-bilitatae, ut vix pedibus sustinere se possent. Deni-que brachia hebescere cooperunt neque fieri potuit, quin ullam rem quamvis minimi ponderis e terra ex-tollerent, adeoque vertigine laborabant, ut totum con-clave circumagi arbitrarentur. Omni corporis parte dolebant, sermonem quoque lenissimum graviter fere-bant, malebantque a vicinis suis se non adiri, quam frequentiam hominum circum se habere. Accuratissime de tota huius morbi specie atque symptomatibus Bausch referebat, qui antea magister fuerat puerorum, tunc vero viribus per aetatem deficientibns emeritus pri-vatam vitam degebait.

Hoc primum morbi stadium per sex, octo aut decem continuos dies duravit, quibus homines lectum non semper servabant, sed tamen metu permoti medi-cum iam consulebant. Similatque aegroti lectum non iam descrere potuerunt, secundum stadium initium ce-pit, cuius indicia haec fere erant.

Facies rubescere coepit, qui rubor tuberculosis

erat similis, vultus afflicti et hebetes, oculi magis magisque rigebant, coniunctiva livida apud quosdam rubicunda videbatur; cutis si tangebatur, erat fervidissima et exsiccata, ut aegroti sub scapulis, tergis, ano surisque carbones ferventes habere sibi viderentur, ideoque dum vires sinerent, turbulenti in lectis versarentur. Pulsus qui apud quosdam duplex erat ad crespuculum vespertinum 126—130, interdum vero 140 ictuum sentiebatur. Appetitus paene deerat, contra sitis maxima, ut unum aegrotorum sex sextarios aquae una hora bibisse constet; lingua sicca et pituita albida et subflava tota erat obtecta, quae adeo adhaerebat, ut singuli aegrotorum dentibus deradere conarentur. Margines et apex linguae colore erant ruberrimo. Apud quosdam aegrotorum pituita glutinosa supra dentes gingivamque se pandebat, nigrum aut certe fuscum aspectum et odorem iniucundissimum praebebat. Exhalitus eorum, quorum linguae, gingivae, dentes muco illo quem dixi erant obtecti, omnino erat foetidus, quasi iam aliquid putrefactum esset. Laryngem, pharyngem, quaeque ei sunt vicinae corporis partes, si paulum modo adspiceres, ruborem tumoremque membranarum pituitiarum animadvertebas, neque raro querebantur aegroti, quod deglutio ciborum esset sibi difficillima. Lingua saepius contremiscebat et ad alterum oris latus sese invergebat, quod quidem apud ancillam institoris Reichwein praecipue animadversum est. Apud eandem puellam crebrae haemorrhagiae intestinalium inveniebantur, ut sanguis per lectum in terram deflueret. Lienes qui apud omnes aegrotos observabantur, in plerisque et adultis iam et pueris maiore erant volumine: in tribus tantum pueris quin-

que, sex, octo annorum eadem quae antea magnitudo splenis permansit. Circa umbilicum et scorbiculum cordis versus semel tantum roseola aderat, quae dgitis compressa evanuit, apud omnes alias miliaria toto abdomine et pectore. Apud quosdam venter plenus et inflatus, apud alias non erat. Meteorismus frequens aderat. Streptitus ileocoecalis in omnibus fere observatus est, tam distinctus apud nonnullos, ut si vel passum a lecto abesses, facile auribus perciperes. Dolores hac in regione, si tangeretur, maximi et interdum adeo fortes, ut aegroti, etsi iam mente carebant, vocibus tamen dolorem indicarent. Tussis plerumque aderat et auscultatione pectoris habita levis catarrhus bronchialis percipiebatur. Ubique, paucis aegrotis exceptis, diarrhoea saepe molestissima, quia quoad mentis erant compotes, lecto ubique tollendi erant. Eorum vero, qui mente carentes iacebant, faeces ultro lectum maculabant, quarum odores vix tolerari potuerunt. In his nonnumquam sanguinis particulae inerant atque flocculi; faeces speciem tenuis pulvis e pisis coctae habebant; quibus si chartam lacmi indideras rubram, caeruleus eius color nascebatur: reagebant igitur alcalice; quod tamen non in omnibus accidit. Quo frequentior diarrhoea erat, eo magis cutis remittebatur, musculi laxabantur, corpus omnino debilitabatur. Interdum ex uno aliove aegrotorum compertum est, dolere extremitates inferiores, cuius quidem rei duo exempla per convalescentiam observata digna sunt quae memorentur. Margarethae Tuerk musculi utriusque femoris adeo erant contracti, ut utrumque crus ad tergi latus conversum esset neque posteaquam convaluisset, pedibus insistere, nedum ire posset. Et

uxor quidem Georgii Buecher, 29 annos nata, per morbi tempus dolores summos in crure laevo senserat, qua convalescente hoc in crure maculae nigrae gangrenosae exortae sunt, inter fibnam et tibiam, quae celeriter totum crus cum pede affecerunt, deinde tibia atque fibula e secunda parte a genu ad pedem usque nudatae sunt, ut celerrime amputatione opus esset, quae a. d. IX. Cal. Mai. circiter in latitudine unius manus facta infra genu laciniis duabus effectis optime succedebat. Putor vero quo circumstantes affecti sunt, plane cadaverosus erat, et annulus aureus medici amputantis Dr. Moelleri, cui adstiti, album erat tinctus, quasi diutius iam in hydrargyro fuisse positus. Pridie eius diei, quo amputatio facta est, saepius apparatu rotationis adhibito accurate cognovimus, quorsum musculi mobiles essent. Hoc in stadio symptomata cerebri maxima adfuerunt, certe apud omnes, qui gravius hoc morbo erant affecti. Plerique de doloribus capitis querebantur neque raro caput panno cinixerant, quo dolorem minuerent. Neque pauci aperto ore, maxilla inferiore demissa, quasi nihil omnino amplius sentirent, iacebant, neque ullo signo indicare poterant se aliquare vesci velle. Si vero qui doloribus nondum impiediebantur, quominus symptomata ipsi referrent, querebantur sese murmur atque susurrum aurium percipere, saepenumero vero se surdos omnino esse: cui rei eo magis fidem fecerunt, quod, si quis eos alloquereatur, os semper apertum haberent. Symptomata cerebri si vero augebantur, aegroti inquietissimi facti sunt praesertim noctu, delirium soporque paullatim accesserunt, pulsus citatus est. Facies ruberrimum colorem induit, interdum haemorrhagia narium apud quosdam

observari. Neque vero stridor in primo sono cordis percipiebatur. Apud nonnullos typhosos hoc iam in stadio decubitus in regione ossis sacri inveniebatur. Hoc in stadio, quod 10, 12, 14 dies continuos durabat, plerique aegrotorum morti occubuerunt. In iis vero, qui acmam speraverant, morbo fracto incepit stadium tertium typhi epidemici, cuius symptomata haec fere erant. Calor antea vehementissimus paullatim remittebatur, parvae guttae sudoris in facie et in fronte conspiciebantur, donec totum corpus denique humesceret. Simulatque primae guttae sudoris apparuerunt, calor cessit, rubor in facie evanuit, malae antea maxime turgidae, aridae et flaccidae sunt factae. Cessit quoque rubor coniunctivae bulbi, cutis palluit et flacuit: quo optime percipi poterat, quanta aegrotus esset perpessus. Paullatim somnus magis legitimus redibat, sed tamen frequentissime somniis cuiusvis et singularis generis interrumpebatur. Qui antea in deliriis atque sopore fuerant, gradatim mentem recipiebant et a necessariis quaerebant, quibus potissimum in imaginibus animus versatus fuisset. Ipsi cum meditati essent, quidnam fecissent, interdum memoriam antea factorum habere visi sunt, sed omnia tam erant confusa, certa ut imago nullo modo componi posset; sed hoc facile animadverterunt, quantum vires se deficerent, neque raro speculum in conspectu poni iusserunt, quo consiperent, quantum caro (haec enim est opinio vulgi) decrevisset. Lingua, gingiva, dentes muco, quo antea fuerant obtecta, liberata et mundata sunt. Margines linguae ruberrimi superiori stadio, aridi, robigine circumdati, nunc paullatim humescabant, mucus item solvebatur neque amplius remanebat, nisi minima

particula albido colore radicem linguae versus. Catar-rhus bronchialis, quem supra memoravimus, decessit, sputa facilitiora fiebant. Pulsus minuebatur, et facile ad 80—90 ictus reducebatur. Interdum accidit, prae-sertim in uxore Buecheri, ut medio in somno iucundo et levi subito doloribus in crure laevo corriperetur. Miliaria in regione umbilicari et scorbiculum cordis versus sensim disparuit, sed tamen magnam desqua-mationem non observavi. Signum constantissimum eius rei, quod morbus summum gradum aciemque, ut ita dicam, assecutus nunc in dies magis minuebatur, hoc erat, quod urina antea rara et fusca, uberioris fluere coepit sedimentaque ammoniaci praebuit acidi urici. Faeces quoque, certe tenues, defuerunt, ita ut medi-cus intervallo duorum triumve dierum intermisso alvum per clysmata duci iuberet. Appetitus cibi potionisque lente redibat, permultique aegrotorum serum lactis, lac butyri, acidos alias potus concupiverunt. Inde querelae de arido ore et de siti magna rariores sunt factae. Quorundam, qui magis robusto corpore erant, crines hoc iam in stadio decidebant. Tertium hoc stadium paene trium quatuorque hebdomatum spatium implevit; quartum vero, quod tunc incipiebat, his indiciis insigne erat.

Languor in extremitatibus et superioribus et in-ferioribus convalescentium in dies maior apparuit, qui dolores e decubitu in femore aut alia corporis parte profectos, ut sublevarent aut certe lenirent, in lectis ab affinibus vestimentis induti, paullulum in con-clavi ambulare conati sunt, sed brevi hoc conatu de-stiterunt. Contremuerunt enim omnes cruris musculi, cutis anserina, quam dicunt, totum cepit corpus, et

certe delapsi essent in terram, nisi proximi et affines statim auxilium tulissent. Saepius qui in sellis considerant, rursus in lectum sese contulere, quum ad esset periculum, ne animo linquerentur et collaborarentur. Atque si a necessariis sustinebantur et portabantur, plerique questus et lamentationes ediderunt. Ciborum appetitus paullatim crevit et qui antea omni cibo sese abstinuerant, ne iidem edendi et bibendi modum excederent, maxime erat cavendum. Ut vero vires reintegratae sunt, tta pulsus, qui tam facile comprimebatur, in dies auctus est. Apud pauperiores, qui ante morbum illum typhi malis dapibus usi erant, oedema non rarum incidit. Hoc stadio apud quinque aegrotos pneumoniae quoque extiterunt, quae tamen nulli mortis causae erant. Haud mirum est, quod ab hominibus eius generis mala vitae victusque ratio, vel ut ita dicam, mala diaeta servabatur: quod tamen excusari potest, quum pietas erga aegrotos semper cibum flendo, querendo, lamentando petentes superstites maxime permoveret, ut querimoniiis istis finem impunerent. Qua de re factum est, ut typho ipso iam superato complures, quia malam servarant diaetam, morti occubuerint. Summa omnium, qui morbo erant affecti, erat sexcentorum viginti duorum capitum, nempe: Centum octoginta pueri scholam frequentantes, septuaginta quinque sextum annum nondum egressi, ducenti triginta unus adolescentes virginesque, centum triginta sex viri mulieresque et quidam senes. Ex hoc numero per stadium acmes quinquaginta sex mortui sunt, reliqui undecim, qui obierunt, diaeta male servata, iam convalescentes occubuerunt. Pluribus diebus, praesertim, cum pluviosum coelum instaret,

tam frequentes decubuerunt et morbo sunt infecti incolae, ut a. d. V. Id. Febr. magistro nuntiaretur centum et octoginta pueros propter morbum scholam adire non posse. Quoniam ad hunc locum pervenimus, non alienum putamus, quominus memoria administrationis quoque publicae ducatus Nassoviae grata fiat, quae omnibus in rebus optime de incolis meruit. Nam ut singulorum miseriam, quoad potuit, minuere et sublevare studuit, ita publicas vias quotidie purgandas puteosque explorandas curavit, quos tam malo statu fuisse supra iam memoravi, ut liquor putidus e sterquilinio quodam in aquam deflueret. Neque minus auxilium ab aliis petivit, iussit enim virgines ex societate sororum misericordium hunc adire locum, ut semper praesto essent, si vires necessariorum, quos vigiliae, dolor, metus excruciant, deficerent. Metus enim non aberat, ne eos quoque pestis afficeret, quod facillime iis fieri poterat causis, quas in initio disser-tationis meae uberius exposui.

Popinae quoque publicae instituebantur et hae quidem medicorum auspiciis auxilioque in primis usae sunt. Ex his iuscula aegrotis domum adferebantur melius et aptius ad valetudinem parata, quam suae quisque domi concoquere potuisset. Ego mehercule dicam, nisi concilio illi administrationis rei publicae ita cordi fuisse salus et vita omnium civium, certe multo maiorem numerum hoc morbo mortem obitum fuisse. Atque quam afflicti et fracti animi incolarum eius vici fuissent, haud difficile cuiusvis vultibus di-judicare poteras.

S e c t i o.

Non parvo mihi dolori fuit, quod quatuor tantum mortuorum cadaverum sectio fieri poterat, quia et omnium vires in tanta illa turba iam satis occupatae erant et necessarii summopere reluctabantur, quominus fieret sectio. Est enim vulgi opinio hac re corpora suorum dedecorari et quasi offendit. Quae vero in sectione invenimus, haec fere sunt. De cruento coeptum est. Primum corpus vivum de capitis doloribus et susurro aurium maxime questum erat. Hic magna hyperaemia, quae ventriculum versus laterale maior erat. Observavimus quoque in hoc cadavere tria loca in magnitudine pisi aut fabae, durae matris in laeva hemisphaera, quae rubra materia distincta esse videbantur. Substantiam cerebri medici Weyer et Scholl aliquanto molliorem, quam qualis soleret esse, iudicaverunt. Cuius si partem cultro ademeras, loca conspiciebas, e quibus guttae parvulae sanguinis destillabant. In utroque ventriculo lateralili sudatio serosa complurium guitarum. Hic tantum medulla spinalis, quum tempus deficere dicent medici, observabatur, quae mihi quidem aliquantum hyperaemica apparuit.

Deinde pectus apertum est. Mucus latus et tenax in bronchiis erat, membrana mucosa oedematosa, ubique paene loca, quae membranam mu-

cosam iniectam esse indicabant. In textura pulmonum tanta erat hyperaemia, ut fere lienis instar esset. In laevo pulmone inferiori parva pneumonia, magnitudinem monetae decem grossorum habens. Musculi cordis, praesertim laevi, magis quam solent erant hebefacti. Sanguis in corde erat crassior, quam esse solet. In cavo abdominali aperiendo, quum apud plerosque aegrotos, dum viverent, tumor lienis adfuisset, a medicis praesertim splenis ratio est habita. Atque revera color tam ruber in sanis in subcaeruleum commutatus erat. Splen ipse multo maior et ad caudam tam mollis, ut in multis formam facile comprimeretur, ad caput vero firmorem et magis constantem se praestabat, etsi mollities nondum tota erat sublata. E maioribus vasibus sanguiferis VIII aut X uncias sanguinis collectas in loco quieto collacavi, ut postquam aegrotos visitassem, maiore cum otio inspicerem. Qua in re magnopere mirati sunt medici, quod crassamentum sese formaverat, inferiorque pars placentae sanguinis speciem granulosam praebuit: cuius rei causam explicare non statim potuimus. De renibus quoque accuratior quaestio est instituta, nihil vero abnorme inventum est, quanquam Dr. Weyer superficiem iam hyperaemicam esse censuit. Ex renibus perfectis sanguis nullus emanavit, neque texturae consistentia erat commutata. Stomachus in quo paucae ciborum reliquiae una cum medicamentis inerant, postquam est apertus, hic illic in magna curvatura glandulae solitariae tumidae, nec non membrana mucosa, quae hasce glandulas circumdat, observata est; hyperaemia capillaria non reperta. Tunc intestinum duodenum et intestinum ieiunum inspectum

est, abnorme vero nihil proditum est. Ileum vero cum accuratius inspexissemus, alvum serosam, valde putidam, maculosam invenimus, membranam mucosam hic illic hyperaemia affectam tumidamque in ileo superiore, crustas villosas facile conterendas atque non-nulos glandularum, quas Peyerianas vocant, cumulos adortas. Eisdem crustis glandulae solitariae summae tectae erant, praecipue coecum versus. Erosionem quoque cernere licebat atque ulcera humilia in marginibus tanquam corrosa. Talem ilei partem si ad lumen admoveras, nonnullis locis crustas detusas musculareremque apertam videbas. Glandulae mesenteriales nucis erant magnitudine et maiore, molles, cyaneae; neque ruptas has glandulas neque peronitin observavi. Aliorum cadaverum, quum secta essent, conditio parum diversa fuit ab illo.

Prognosis.

Prognosis hac in epidemia plerisque in casibus maxime dubia, cum complures aegrotorum, quibus minimum periculum instare videbatur, paucarum horarum spatio intericto tam graviter iam morbo afficerentur, ut de salute plane desperaretur. Cuius rei exemplum gravissimum est puer Guilelmi Heep, quem quum mane adiissemus, typho certe correptum, sed tam leniter in-

venimus, ut ne gravius corriperetur, omnis metus abesset; sed antequam alteram aegrotorum partem visitavimus, mater summo cum fletu et lamentatione nos adierat obsecrans, ut statim puerum conveniremus, quem maxime iam delirare nuntiabat. Tunc nostrum auxilium iam non suppetiit, cum sequenti die mane puer animum efflaret. Sic apud omnes, qui in delirio essent, prognosis infausta erat, quia apoplexia erat exspectanda. Illa quoque persona, quam supra propter haemorrhagiam intestinalis nominavi, prognosi infeliciter facta, morti paucis diebus post occubuit. Splen cum omnino esset tumidus, prognosis fere semper infelix habita, quia rupturas splenis, et hac re haemorrhagias in peritonaeo metuebamus; sed tamen mortem de his rebus nullam accidisse memini. Eodem modo crebra diarrhoea ideo prognosim effecit infaustorem, quia intestinalis phthisis erat metuenda, praesertim cum vires aegrotorum omnino essent debilitatae sanguinisque copia magnopere imminuta. In his vero, qui morbum superavissem cum viderentur, iterum reciderent, pronuntiare facile potuimus de salute eorum iam desperandum esse. Complures aegroti, qui omne fere tempus in lecto degere erant coacti, marasmo saepe succubuere. Duo quoque casus, in quibus catarrhus bronchialis in vita ante observatus erat, letales fuerunt. Hoc maxime apud pauperiores, qui malo cibo, vestimentis, aedificiis erant usi, aut qui aegrimoniis erant confecti, prognosis effecit minus faustum, quam apud ditiores.

Curatio.

Hac quidem in parte dissertationis meae recurrentum mihi est ad id, quod superiore loco iam laudibus extuli. Ministerium publicum simulatque a medicis de typho exorto certius est factum, fide eo magis habita, quod typhus iam ante quosdam annos in reione illa Silvae occidentalis sese monstraverat, statim magistratus Hadamarienses, qua in praefectura vicus Frickhofen situs est, sedem malorum adire inque statum totius rei accuratissime inquirere iussit. Qui quum medicorum relata vera esse affirmassent, summopere est provisum, ut miseriae publicae quam citissime circumspiceretur. Missa igitur sunt argentum, oryza, caro, cicera; advocatae sorores misericordes e Dernbach, qui est vicus praefecturae Montis Taboris; viae luto liberatae, paludes exsiccatae. Ex privatorum vero numero, qui maxime de miseris incolis meruerunt gratiamque summam qui relatam accipiant, digni fuerunt, Schmidtum decanum vici eiusque diaconum Guilelm. Orth nomino, quorum virorum studium, labor et beneficia fere incredibilia sunt. Decani benevolentia eo processit, ut in aedibus suis suis sumptibus popinam institueret, quam medicorum arbitrio subiunxit. Ipse una cum diacono a mane usque ad medium noctem in vico ex aedibus in aedes versabantur aegrotosque adibant non solum ut solatia

praeberent, miserosque in dei fide fiduciaque servarent et confirmarent, sed etiam ut, cuicunque erat necesse, de suis adiumenta praeberent, quoad poterant. Ab his adiuti medici plebem tam dissolutam typho publico magis dicto audientem multoque patientiorem habuerunt. A divitioribus et in vico ipso et in vicinia argentum vestimentaque colligebantur sororibusque misericordibus tradebantur, quae quibus maxime illis rebus opus erat, saepe iudicio medicorum adiutae iis distribuebant. Sorores vero, salute sua plane neglecta, vigilias exercebant; taliumque beneficorum beneficiumque auxilio factum, quod non totus vicus morbo correptus est mortique occubuit.

Medici vero primum operam maximam dederunt, ut aedificia et conclavia antea sordidissima munda essent. Fenestra haud procul a cubiculo ita exstrebatur et aperta erat, ut aëre intrante aegroti nullo modo nocerentur. Conclavia ubi humida erant, aegroti in summam domum translati sunt, idque coenaculum est delectum, quod solis radiis maxime erat oppositum. Quodsi propter paupertatem aegroto remanendum erat in inferiori tabulato, calor omnis, qui certum gradum supergrederetur, evitatus est. Neque minus interdixerunt severissime medici, quominus in iisdem conclavibus, in quibus aegroti erant, coqueretur, ne aquae vaporibus locus impleretur. Ad crepusculum vero vespertinum cum aegri summo calore affecti inquieti in lectis volarentur, fornacem omnino incendi vetuerunt, aegrotum tantum modicis indumentis et stragulis operiri iusserunt. Neque minus diligenter id circumspectum est, ut camisae et lecti puri semper habarentur, et si modo fieri poterat, altero tertiove quoque

die puris stragulis obducerentur. Quum vero exhalationes et vapores nullo modo omnino evitari possent, alterum cubile sufficiebatur saepius in conclavebus, praesertim apud eos aegrotos, quorum alvus in lectum sese evacuaverat. Necessarios quam optime poterant, medici de lecto retineri iusserunt, ne eorum lamentatione aegroti animus magis etiam perturbaretur. Viae ut supra iam diximus, quotidie luto liberabantur. — Quod vero ad interiorem ipsius febris curationem attinet, simulatque aliquis nauseam et vomendi cupiditatem questus est, et cuius lingua vel minima muci parte erat obtecta, emeticum datum est, aliud in hominibus adultis tart. stib. gr. 5, aliud in pueris, qui sextum superaverant annum, tart. stib. gr. 2—3 in aqua soluta. Aqua quae ex puteis in vico sitis peti solet, erat interdicta, ideoque deferebatur e loco, qui circiter octingentos passus in parte septentrionali occidentalique saltus aberat, quo in loco duo fontes purissimi erant, quorum aqua ad bibendi usum maxime erat idonea. Quumque observatum esset eos aegrotos, qui antea saepius vomuissent, multo minus morbo ipso vexari, in tribus, qui de symptomatis iam querebantur, periculum est factum vomitus ante morbum ipsum plane exortum eliciendi, qui tres ne lecto quidem incumberere coacti, ita prorsus liberati sunt. Quum in initio Dr. Weyer septem personarum venas secuisset, quarum pulsus durus atque plenus fuerat, brevi hoc remedio destitit; omnes enim septem mortui sunt. In duabus casibus medici curationem per aquam frigidam adhibuerunt, quod in utroque bene successit.

Posteaquam aegrotis emeticum est datum, lacte butyri aut si eius copia non erat, lacte dulci usi sunt,

acidi vero lactis usum prohibuerunt, quippe quod diarrhoeam excitaret, iam satis molestam. Praeterea aegroti humore hordeaceo atque avenaceo et iusculis carnium ovorumque, verum iis peracta demum inflammatione vel quum tanta illorum esset infirmitas, ut collaborerentur, sustentabantur. Insomnia et capitis dolore non statim cessante morphii dabatur $\frac{1}{6}$ gr., quod etiam tum fieri solebat, quum nimis liquida esset alvus (tum etiam acidi sulphurici aqua diluti guttae aliquot) et doloribus alvi aegroti angerentur; nec deerant capiti levando fomenta frigida. Cuta sicca et fervida aegrotantes aceto feliciter lavabantur, ventre irritabili et molesto saepe fomentatione utebamur. Si qua corporis pars in decubitus prona erat, citrei divisi succo tangebatur, quod salubre institutum aegroti summopere laudabant: verum tamen facto iam decubitu plurimum operae dabatur loco illi emundando, aqua frigida et saturnina lavando, linteis saepius mutandis, idoneae cubationi. Labris siccis et linguae loco medicinae erat mundities, aqua frigida illata, fructuum subacidorum usus. In ea muliere, cuius maxima erat haemorrhagia intestinalis, quum alvo fomenta glaciei allata, aqua chlorata ut interna medicina infusa et clysmata alumine soluto temperata essent adhibita, sanguis mox suppressus est. Cathedrae quamquam ubique praesto erat, usus quinques tantum necessarius fuit. Obstructio alvi paulo diutior clysmatis curabatur aquae frigidae. Si in alterius stadii fine complicatio pneumonalis accesserat, sulfure aurato $\frac{1}{3}$ gr. validis hominibus cum prospero successu medebamur. In extrema infirmitate merum rubrum, nigra calda Arabica, camphora, moschus, alia excitantia dabantur. Quam fieri poterat

accuratissime convalescentes curabantur, prorsus prohibitis pomis terrestribus et leguminibus, cibis contra concoctu facilibus, v. c. assatis carnibus vitulorum, initio exiguis, deinde pedetentim frequentioribus sumpeditatis.

Quae quum eo modo facta essent, circiter a. d. VII. Id. April. huius anni morbus ille deletus fuit.

Habui pote illiusque etiam in secolis
medicinas, quae operariis, exercentibus
et medicinae ratione, chirurgia
et specie, sensibilius obseruantibus
obstantib; in mortuis, atque in vivo
clinico operario Secundum pote
supradictum.

V I T A.

Ego *Ioannes Schmitt* Hangenmeilingiae vico ducatus Nassoviensis natus sum a. d. IX. Cal. Septembr. MDCCCXXVI., patre *Ioanne*, matre *Margaretha* e gente *Schartia*. Fidem confiteor catholicam. Artium liberalium rudimenta doctus sum in gymnasio Hadamariensi, rectore primum *Ios. Muthio*, deinde *Math. Kreiznero*. Semestri aestivo a. MDCCCXLVIII. civibus académiae Giessensis adscriptus sum, literis sacris operam daturus; auctumno anni MDCCCL. Bonnae sedem fixi *Argelandro* rectore magnifico, mutata studiorum ratione: nam inde ab eo tempore medicinae arti pernoscendae quum hic tres annos, tum Wirceburgi semestre spatium, tum Bonnam reversus par tempus insupsi. Atque his interfui scholis: Psychologiae organicae et physiologiae universalis *Schaaffhausenii* Dr.; medicinae artis encyclopaediae et methodologiae, pathologiae universalis et semioticae, nec non therapiae universali, clinico pathologico *Naumann* prof. illustrissimi; psychologiae ac sensuum disciplinae *Knodtii* Prof. illustr.; logicae *van Calkerii* Prof. illustr.; bis chemiae Prof. *Bischofii* illustr.; botanicae *Trevirani* Prof. illustr.; zoologiae *Troschelii* Prof. illustr.; mineralogiae *Noeggerathii* Prof. illustr.; Anatomiae univers. et spec. et secandi exercitationibus *Mayeri* et *Weberi* Proff. ill.; materiae medicae et formul., anatomiae pathologicae et clinico propaed. *Albersii* Prof.; physiologiae

Budgii Prof. illustrissimi; pathologiae et therapiae speciali
Boeckeri Dr.; arti obstetriciae, exercitationibus obstetriciis
et medicinae forensi *Kiliani* Prof. illustr.; chirurgiae univ.
et spec., auscultationis operationisque chirurgicae doctrinae,
operandi in mortuis arti et clinico chirurgico *Wutzeri* Prof.
illustrissimi; Wirceburgi clinico obstetricio *Scanzonii* Prof.
amplissimi.

Postea quum facultas mihi, quamquam iam non huius aca-
demiae civi, scholarum audiendarum data esset, per huius anni
aestatem *Plueckerum* Prof. illustr. audii de Physica experi-
mentalni disserentem, per hoc semestre hibernum *Kiliano* exer-
citationibus obstetriciis in simulacro instituendis praeceun-
ti adsum.

T H E S S.

- I. *Auscultatione et percussione neglecta, diagnosis morborum pectoris incerta.*
 - II. *Lupus exulcerans et hypertrophicus optime ferro candente sanari potest.*
 - III. *Wutzeri methodus rhinoplastica plerisque ceteris praestat.*
 - IV. *Taeniae primi vitae stadii in hominum tractu intestinali non inveniuntur.*
 - V. *Vulnera sanum pus edentia quotidie prorsus illo liberari reiiciendum est.*
-

Budži Prof. illustrissimi; pathologiae et therapiae speciali
Boecheri Dr.; arti obstetriciae, exercitationibus obstetriciis
et medicinae forensi Kilani Prof. illustr.; chirurgiae mag.
et spec., auscultationis operationisque chirurgicae doctrinae,
operatorum in moribus arti et clinico chirurgico Wulseri Prof.
illustrissimi; Wiroburgi clinico obstetricio Scansoni Prof.
illustrissimi.

I. Anatomie et physiologie de la generation medico-clinique
demanus civi, scholarum auditorum, et sociorum parvium anno
mottorum preciosis mcccxxii. auctoritate Plueckerum Prof. illustr. studi de Physica exper-
imentalis obsteirciae et medicinae operibus Litteris
Hannoverianis et medicis institutis praecipue
adsum, et hoc anno 1770.

III. Universitatis medicinae typographica celestis
Præceptori

VI. Teneatque primi sive in pomisnum illucem
intestinorum non incolumem.

V. Nuptiam suam que ehectu duxit protinus
nuptio ipsius remissionem est.